Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Clodius Philipp Daniel Goebel

Theses Hypothesibus Novae Criticae Toy P. Simon Oppositae

Gissae: Kargerianis, 1682

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

73.

Fa - 1092 (73.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0002
DFG

בעהקקק:

Syllabus Eorum,
Quæ
Tomo Boc. IV. Continentur.

I. Antonii Hulsii Theologia Judaica.
II. Oleani Synopsis Errorum Pontificiorum.
III. Ejusdem Syn. Errorum Calvinianorum.
IV. Ejusdem Syn. Errorum Arminianorum.
V. D. Scherzeri Theses Anti-Syncretisticæ.
VI. Cæterinus Ky Præs. D. Alabickhorstio Actare Gideonis ad Jud. VI. 24.
VII. M. Willemeri חלק הטוב ex Ps. LXXIII, 25. 26.
VIII.
IX.
X.
XI. } M. Gerhard Meyer זרוע של משיח ex Jesai. LIII, 10.
XII.
XIII. } M. Dassovii Rabbinismus Philol. Sac. Amicillans ad Jerem. XXVIII, v. 6.
XIV. M. Willemeri Hoseas Αὐτόπλος ad Cap. XI, 7.
XV. Dn. Stollbergii Sapientia a Liberis Justificata Matt. XI, 19.
XVI. Dn. Schurtfleischii Johannes Ἐπιπλαγκτος XVII. Gde. de Λόγῳ
XVII. M. Rentschii Præside D. Meisnero de Copernaismo.
XVIII. M. Tentzelii Præs. Dn. Stollbergio de Proselytis Judæorum Act. XVI, 13.
XIX. M. Stromeyer. Præs. Seb. Schmidio ad Rom. I, 16.
XX. Schurtfleischii Hyperbolismus Paulinus.
XXI. M. Weichmanni de Arithmetismo Paulino. I Cor. XV, 22.
XXII. Jacobi Leontii de Prætore & Prætorio ad Phil. I, 13.
XXIII. Ejusdem Altera.
XXIV. Kochii Sub Præsidio D. Bajeri de Affectantibus Parochiam I Tim. III, 1.
XXV. M. Storrii Præside Carpzovio Petrus fidei ex II Pet. I, 19. 20. 21.
XXVI. Dn. Maji de Inspiratione Scripturæ S.
XXVII. D. Joh. Fausti de Gloria Immutabilitatis Script. S.
XXVIII. M. Reinhardi קרי וכתיב הכפורת.
XXIX. Dn. Sennerti de Origine Linguæ Hebrææ.
XXX. D. Welleri הקציר.
XXXI. Schurtfleischii Philologemata Miscella.
XXXII. M. Beck Usus Phylacteriorum Judaicorum.
XXXIII. Jacobi Rhenferd Archisynagogi Obsolete Novelle Scripti.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0006
DFG

XXIX.

29.
32.
34.
5.

QUOD DEUS BENE VERTAT

THESES

HYPOTHESIBUS NOVÆ CRITICÆ TOT P. SIMON OPPOSITÆ,

QUAS

AMPLISS. FACULT. PHILOS. CONSENSV,

SUB

PRÆSIDIO,

DN. DAVIDIS CLODII,

SS. THEOL. DOCTORIS EJUSQUE EXTRAORD. LINGU. ORIENT. ORDINARII PROFESSORIS, ET h. t. FAC. PHILOS. DECANI,

PRO

CONSEQUENDO GRADU MAGISTERII

Conscripsit & publicè defendet

PHIL. DANIEL GOEBEL,
GIESS, Stip. M.

Ad d. 19. Octob. Anno 1682.

GISSÆ,
Literis Academicis KARGERIANIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0007
DFG

UT nullum unquam fuit seculum, quô absque damno Philologiæ sacræ studium insuper habitum fuit, ita certè nullũ est, quô illô minus carere possumus, quàm hoc nostrum, ubi videntes Adversarii acropolin fidei nostræ hactenus per scripturam inexpugnabilem stetisse, id agere cœperunt, ut non tam scripturam amplius apertè traditionibus oppugnando, quàm omnia potius illius in dubium vocando, negando, ἀκεραιότητα puta, puritatem, intelligendi possibilitatem &c. omnem illius certitudinem convellant & eripiant. Novo id ausu molitur, qui nuper post alios surrexit Lugduni Parisiorum, *Richardus Simon*, Congregationis Oratorii Presbyter, in Nova sua *Historiâ Criticâ Veteris Testamenti*, quæ Parisiis primùm anno 1678. & mox post publicam confiscationem in Belgio anno 1680. idiomate Gallico prodiit, & anno sequente à *Natali Alberto de Versé S.Th. & Med.Doct.* Latinâ linguâ donata Amstel. recusa fuit. Quod scriptum utut *in genere curiosum admodum & summâ eruditionis esse* cum Eruditis Lipsiensibus in nuperis *Actis Eruditorum* p. 94. haud inficiemur, perditæ tamen intentionis est scriptum, summèque pernicioſum, quô vix visum quod gravius in authentiam Codicis sacri arietat. Superat Capellum, Morinum, Vossium &c. quos ob versionum amorem æquè ac textus Hebræi defensores ad extrema, incautos ruere accusat, ipse neq; in medio, quale hic nullum est, neque in extremis stans, sed ultra ipsa quoque prolapsus, & textu Hebræo authentico & versionibus singulis insuper habitis, accusatis, damnatis. Sed ipsemet B.L. judicabis ex sequentibus, tametsi paucis, talibus tamen quæ scripti virus detegere poterunt, rite si considerata fuerint. DEUS illuminet omnium oculos ut & veritatem ejus contemplentur & salutem propriam insequantur. אמן כן יהיה רצון אמן.

THES. I.

CUm clarè vox scripturæ sonet, Deum auctorem & datorem loquelæ, frustra est Simonius, quòd illud de Linguâ, tùm primâ Protoplastorum, tum & illis quæ confusionem Babelicam fecerunt, inficietur, sub solo prætextu componendi rationem

cum

cum fide atque Scripturâ & Philosophiam cum Theologia, veluti loquitur Lib.3. pag.544.ed. Gall.& conf.Lib.1.c.14.15.Cum nihil minus verum sit quam quod scribit: *Linguam naturaliter inventam fuisse citra opem DEI, sans le secours d' aucune Divinité, pag.547.*

II. Inconstantiam verè suam maximè prodit, dum in qu?de primævitate Linguæ Hebraicæ modò cum Greg.Nyss.Cluverio, Grotio (quò & Doctus Huetius abit prop.4. cap.13. §.2.) linguam primam funditus interiisse,non absurdè dici ait pag.94. modò argumentum(quod vel solum rem totam conficit & præ cæteris placet) à nominibus propriis quorum ante Ἀφανισμὸν Gentium Moses meminit,& quæ cætera sunt à simplicitate linguæ &c. meras conjecturas esse,pag.93.546.547. modò vicissim pag. 97. 99. simplicitatem optimè convenire Hebrææ asserit, unde jure audiat mater linguarum Orientalium pag. 97. imò omnium pag.546.

III. Laudi omnino inservit huic linguæ, præter alia quòd Deus eâ ipsâ usus fuerit. Perfectionis id adeò est, quòd mysteria Divina, Pansophia Salomonis eâdem extent, & hodieque cuncta scientiarum argumenta ipsâ tradantur, vid. Sim. pag. 432. Iniquitatis verò Simonis est argumentum, quòd tam ægrè ferat laudes illius pag. 547. nec minoris inconstantiæ signum,quòd eam mox à se ipsâ imperfectam, sterilemque clamitet pag.477. mox verò fœcunditatem ejus quâ hodie adh.gaudeat,admiretur pag.432. seq.

IV. Pestifera verò planè sunt & universæ,suæ etiam Romanæ Ecclesiæ summè noxia, quæ pro hujus ceu intermortuæ linguæ, & consequenter versionum quotquot extant,omniumque adeò explicationum incertitudine concludendâ ex omnium seculorum ignorantiâ ejusdem linguæ futiliter garrit.V.præf.** 2. L.3.c.2.p.400. Etenim dubium est, si non apertè falsum quòd p.202.211. Versionem LXX. seniorum, omnium omnino versionum primam esse affirmat:Falsum v.est,ex codicibus tunc jam omnibus corruptis factam esse.pag.107.228.

V. Falsum est statim post solutam captiv. Bab. ex ignorantiâ Linguæ & Chaldaismi consuetudine textum mutatum fuisse. quæ cum nec LXX. ea noverint,tot diversitatum in Versione LXX. ab Hebræo,origo fuerint. p.102.107. Præter historiarum item

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0009
DFG

fidem ait, Judæos eodem tempore omnem ferè Scripturæ curam abjeciſſe. Vid. lib. 1. c. 16. 17.

VI. Haud certiori pede per ſequentia ſecula progreditur. Unus hîc illi hiatus ignorantiæ hinc à ſolutâ captivitate Babylonicâ ad noſtra usque & poſtrema ſecula expanſus. Vid. L. 1. c. 16. & 17. 30. 31. Modeſtior hîc Capellus eſt: verba ejus ſunt apud Buxt. de punct. D. 2. c. 10. p. 368 ſeq. conf. plura apud Boot. §. 15. Sed ſuæ obliviſcentiæ monendus eſt Simon. qui ſi rectè pag. 123. *Judæos primis Chriſtianiſmi ſeculis linguam plus quàm antea nunquam excoluiſſe*; ſi iniquè Morinus de ignorantiâ Judæorum Hieronymi tempore, contra quem candidè disputat pag. 526. 527. quî adeò illa intermortua eſt lingua, ut poſt oblivionem nunquam perfectè potuerit reſtitui, v. præf. & quid hinc de ſuâ jactatâ verſione nova, meliori ſupra cœteras adornandâ (vid. L. 3. c. 1. 2.) nos ſperare vult? Et cum ſuis tranſigat demum, ſibique dictum habeat, quod Morino dictum vult pag. 527. Quis Vulgatæ auctorem, quem Hieronymum eſſe volunt, Hebraicè docuerit, & qualis ejus juxta ſupra dicta autoritas futura? quam ipſe cum Eccleſiæ Romanæ dilectis filiis authenticam nominat.

VII. Ut concedimus in Rep. Judaicâ publicos ſcriptores annalium fuiſſe, quos per מזכירים intellexeris 2. Sam. 8, 16 cap. 20, 24. 1. Reg. 4. 3. ita contra Simon. negamus, *eosdem Scriptores fuiſſe librorum ſacrorum Vet. Teſt. Leges divinas populo propoſuiſſe & interpretatos fuiſſe, futura prænuntiaſſe, ad populum publicè peroraſſe*; quæ & ſimilia plura habet in præf. lib. 1. c. 1. & 2. pag. 3. 16. 17. 33. & alibi. Multò minus, illud probabit, *Eosdem ſcribas poteſtatem habuiſſe ſacra ſcripta mutandi, reformandi, vel addendo aut expungendo, vid.* præf. pag. 4, 19. & L. 1. paſſ. *idque ſæpe ſæpius factum fuiſſe, uſq; eò ut nec Esdræ tempore ſupremum iſtud reformationis diſcrimen ſubierint libri ſacri*, pag. 67. adeò ut quod nobis ſupereſt librorum ſacrorum, non ſit niſi epitome ex antiquioribus ſcriptis Propheticis contracta in præf. & al. paſſ. Si *archivis publicis confeſtim ingerebantur libri conſervandi* ut ait pag. 3. & *authoritate Synedrii M. publicabantur* ut eſt pag. 28. quô nomine alii eam reformationem tentarent? Nec illa ſimul ſtant, *Scriptores hos à Deo immediatè fuiſſe inſpiratos*, [quam theſin Spinozæ opponit, faciliusque ex ſua hac hypotheſi tueri præſumit, vid. præfat.] & *nihilominus impolitè ſcripſiſſe ταυτολόγως & ἀμεθόδως*

29.
32.
34.
5.

δόδωε, *pro lubitu sua congessisse, multa utut memoratu digniora omisisse, collegisseq; saltem ea, quæ & speciosiora essent & magis ad palatum populi.* Vid. hæc ἀξιώματα quibus suos scribas tam insigniter mactat in præf. & pag. 4. 26. 27. 36. seq & 58. &c.

VII. Vanum adeò est argumentum, quô pag. 61. libris quos apocryphos vocamus, parem cum Canonicis auctoritatem vult probare, ex eo, *quòd ab istiusmodi scribis conscripti sint, quales in Rep. Jud. nunquam defuerint, ad scribendum à DEO instructi.* Quæ oppidò malè conveniunt cum istis, quando ex omni ætate ante & post captivit: Babyl. mutationum & depravationum scripturarum occasiones indagat. Etenim si tales Divini scribæ nunquam in Rep. Hebr. defuerunt, cur non & prioribus scriptis suam sartam tectamque servare poterant puritatem? hoc namque ipsorum erat muneris, Propheticos libros ab aliis discernere & revidere, ut scribit pag. 2. 3. 4. seq. Vicissim non concordant: *Ut liber sit Canonicus, sufficit ut à scribis istis scriptus sit*, pag. cit. 61. & *Libri apocryphi sic dicti fuere, quos Synedrium M. non authorisavit.* pag. ead. Libri igitur post Esdram scripti ex posteriori erant apocryphi, nunquam enim eos Hierosolymitana Synagoga consecravit. fat. *Huetio D. E. p. 264.* ex priori verò Canonici. Quin & si per synedrium stabat ut auctoritate publicâ αὐθεντίας donarentur libri aliqui, quorsum faciebat expositum modo scribarum istorum munus, censere quinam libri verè divini essent, & qui minus?

IX. Mosem esse scriptorem Pentateuchi, constanter ajo contra Simon. vid. *L. 1. c. 5. & 6.* Omnia tamen quæ in Pentateucho hodie sunt, à Mose esse scripta, difficile judicavero probatu.

X. Linguam Hebræam post exilium Babylon. paulatim in desuetudinem abiisse populo Judaico, vero non est absimile; Haud tamen inde existimandum est, tam pronâ eam oblivione sepultam, usque adeò insuetam vel vulgo fuisse, vel difficilem Doctis, ut cum P. Simone p. 102. impossibile dicas iis fuisse, satis exactè describere exemplaria sua.

XI. Falsum est, quod L. 1. c. 16. & p. 134. 397. & alibi habet: *Vocales Hebr. seu puncta vocalia hodierna nihil nobis aliud in literaturâ hebraicâ præstare, præter limitationem & fixionem lectionis & pronuntiationis tempore Massoretharum Tiberiensium recepta, quô textui primùm adscripta fuerint, postquam scil. jam & scriptio*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0011
DFG

& lectio immensùm immutata fuerat ex usu & mixtione Chaldaismi aliisq; causis. cap. 16. L. 1. quando quilibet librarius pro suo libitu vocales literas aut supprimebat aut addebat. pag. 126. 535. Difficile eque esset constantem aliquem usum conservare ejus rei quæ à solâ phantasiâ Copistarum dependebat pag. 129. conf. p. 390.

XII. Rursus nullam olim ante Tiberienses in libris biblicis fuisse distinctionem, totumque adeò textum instar unius versus fuisse quod cum Eliâ Levita ait Simonius p. 170. & 133. seq. id nondum probatum dedit, frustraque nos accusat p. 170. quòd cœco judicii assensu absque ratione ulla communem distinctionem teneamus, cùm ea unicè Grammaticorum opus sit Thalmude recentiorũ, adeoque pro libitu mutanda p. 172. & 437.

XIII. Falsum est Codicem hodie nostrum Hebræum à Tiberiensibus Masorethis mutatum & in diversam à primâ formam reductum esse, pag. 146. 395. & passim.

XIV. Nihil habet, cur communem sententiam de auctoribus Thargumim in dubium vocet pag. 333. & 569. ex eo solo quod non nitatur nisi traditione Judæorum nihil hic præter fabulas tenentium.

XV. Eas a. non esse nisi Glossas & interpretationes Veterum Doctorum Hebr, per traditionem longo tempore conservatas & serò demum collectas, gratis scribit Lib. II. c. 18. p. 331. seq.

XVI. Utiliter adeòque antiquis illis adversus Judæorum pertinaciam utimur paraphrasibus, quæ non ex allegoricis saltem expositionibus desumptæ sunt; quô de cur tam leviter existimet Simonius. p. 340. & 570. nihil rationis habet.

XVII. Firmum nobis pro integritate Canonis est argumentum à *Providentia Divinâ*; quam mirum est, cur incertiorem credant Romanenses, quàm illam Petrinæ Cathedræ assistentem & providentem Spiritus S. gratiam. Impius a. est Simonius, quòd *eam tantùm in superstitione & deliriis Rabbinorum fundatam esse scribit p. 537. 553. 556.* Nec igitur iisdem infortuniis, quibus cætera scripta humana, subjici, scripturam passa illa fuit, nullasque humani ingenii censuras patitur, contra Simonii temeram assertionem pag. 41. 103. 36. 396. & alibi.

XVIII. LXX. Seniores nihil vertisse præter Pentateuchum, vel falsò ait Simonius pag. 212. vel sine sufficienti ratione. Probabilius existimo totum Canonem V. T. vertisse, nisi placuerit ἐπέχειν.

XIX. Para-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0012
DFG

XIX. Paradoxum Simonii est, Versionem Vulgatam multis adh. *erroribus esse refertam, & nihilominus tamen authenticam esse haud cessare*, quô nomine venire nequit, neque ex ipsius rei veritate, aut vocis notatione, neque ex sententiâ m. Conc. Trid. quam nequicquam in diversa omnia trahit Lib. 2. c. 14. Ejusd. censûs est isthoc. *Utut nova conficiatur versio vulgatâ accuratior, non tamen eandem habituram esse autoritem in Ecclesiâ*, (sed Pontificiâ) *quam habeat vulgata, quippe pro authenticâ ab Ecclesiâ approbata. vid. pag.* 567.

XX. Ut demum, de Synagogæ M. veritate sub Esdrâ, quis dubitet, ceu in suam fortè rem dubitat pag. 57. & 550. prætensæ dissensiones Judæorum de eâ, facere nequeunt.

Ex hisce utut paucis, novæ hujus Criticæ ideam cognosces B.L. Quô affectu altera ejus super N.T. pars promissa, sed metu forsitan consimilis adversi fati usque huc suppressa, expectari aut excipi debeat, ambigeret jure animus. Dolet enim sæpe sui contmptum hostiumq; pertinacem perniciem, sæpe verò & exultat inexpugnata veritas multos habere quibus obviet, victrici vindicis sui dexteræ confisa, doctaque sæpe majori suæ luci & gloriæ locum fecisse invidiam. Nihil equidem tam iniqui contra charum hoc fidei nostræ κειμήλιον tentari posse crederemus, hoc unum illibatum speraßemus nobis relinquendum. Sed nec ab hoc temera manus novi Critici sibi temperat. Gustum cape ex hoc, quòd tam turpiter isto quorundam errore abutitur de *linguâ Hellenisticâ*, (ipse eam passim *Linguam Synagogæ* vocat, ut p. 203. 506. 564. &c.) dum inde tam grandē & tantum non, imò certè insuperabilem ejus difficultatem efficere laborat, ut *fermè impossibile sit & Versionem LXX. & textum Græcum Novi Test. intelligere, nisi perfectè quis calleat linguam Hebræam aut Syriacam, aut Chaldaicam, eam sc. qualis t. t. usitata erat in Judæa, vid. pag.* 203. & 506. scil. hoc illud est monstri: Hebraica lingua restaurari nequit ex inexhausta illa ignorantiæ abysso; qualis tempore N. T. fuerit vernacula, ignotum dicet Simonius; ex hodiernâ Syriacâ Versione quicquam speras? dicet eam & recentiorem esse & idiomatis recentioris ab illo priori Apostolorum ætate immutati p. 311. imò & ob puncta incertam p. 312. sin ad paraphrases Chald. abieris, repugnabit adhuc & illas recentioris dicet esse ætatis vid. thes. 14. & 15. incertus

cervas. vid. th. 5. taceo quod lectionē earum hodiernam per puncta incuſet. p. 335. 338. 339. 570. 575. Promptum jam eſt judicare de peſte hujus Criticæ. Nempe nihil certi tenemus in ſcriptura, in certam clamat linguam utriusque Inſtrumenti, Grammaticam dubiam, mancam & unà cum omnibus lexicis nullam. Incertum totum textum Hebræum reſtituendum ex Verſionibus antiquis. vid. p. 395. 398. 523. nunquam reſtaurabilem *præf.* **. 2. ſed has utpote pluribus laborantes defectibus p. 224. 228. 395. neceſſariò priùs vult reſtitui p. 395. 399. Thargumin ſcil. p. cit. Verſionem LXX. & vulgatam cum antiquam tum novam p. 517. ſeq. textum it. Samaritanum L. 1. c. 10. 11. 12. Aſt viciſſim unde reſtitutio illa ſperanda? Paraphraſes nunquam prorſus accuratæ fuerunt, earum punctatio moderna ſæpe & per Buxtorffium ab antiquâ immutata, vana eſt, interpretatio inde adeò earum libera totumque quod de Grammatica Chaldaicâ habemus, mancum eſt, incorrigibile. vid. L. 2. c. 18. p. 335. conf. p. 570. conf. p. 399. Verſio LXX. ex jam tùm corrupto textu facta eſt p. 107. reſtitutu difficilis p. 224. 399. imò impoſſibilis, ex variis Aut. hypoth. ut quod ejus idioma Helleniſticum vocat, absque cognitione præviâ linguæ Hebraicæ (ſcil. jam dum intermortuæ atque ex aliis reſtaurandæ) impoſſibiliter intelligibile. p. 203. Vulgata verò antiqua ex LXX. facta fruſtra quæritur, ipſaque ex incertâ Verſione expreſſa, cujus ſenſum autor illius vulgatæ ſæpe ipſe non intellexit. pag. 564. conf. 273. Vulgata nova juxta textum jam corruptum facta incerta eſt ob mutationes varias & mixturas quas ſubiit multarum Verſionum. vid. p. 274. 288. 565. 566. Eaq, nondum ſatis emendata porrò corrigi nequit absq;, cognitione Linguarum ſanctarum p. 517. earum ſc. quæ jam ante omni certitudine deſtituebantur. Ergo Verſiones reſtitui nequeunt. Ergo in reſtauratione textus Hebraici & linguæ & Grammaticæ Hebr. fruſtra laboratur? Ergo impoſſibile eſt Religionem integrè in ſcriptura reperire niſi in adjutorium vocaveris antiquas & divinas Traditiones &c. verba vid. Simon. pag. 455. & in præf. **. b. ſola igitur juxta Simonium traditio tenenda. Sed ne & illa omnis ad guſtum Simonii fuerit valde vereor, ipſe enim unde illa promenda, dubius ferè animi pendet. Cenſuraque ejus de Patribus liberior quàm quæ principii Religionis promicondis conveniat. Verum de his alii, mihi iſthæc ſuffecerint.

SOLI DEO SIT GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0014
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0015
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0016
DFG

Eôdem modô CHRISTUM multa excepit turba … nes enim
in eum intenti erant.

9. Ex hoc duo apparent. *Primò*, qvod … n directè
nullibi localem inclusionem in Nov. Testam. … vod per-
sonæ exceptionem honorificam, qvâ obedient … ratur,
noret. *Secundò*, qvod verba שמוא רנקבלון … *qvem*
oportet cœlos ut (tanqvam Dominum suum … *cipiant*;
cui etiam obediant, nihil servile, sed majestatic … modum
indicent. Adeoqve: *qvod Græcus Textus*, (m … æc ver-
bis *Dn. Tarnovii* in Exercit. Bibl. p. 1170. edit … o 1627.
qvàm nostris dicere) *authenticus dicat*, *qvid C* … *videli-*
cet qvod in sui exaltatione secundùm humanam … *llatione*
ad dexteram Patris occuparit cœleste regnum & … *plena-*
rium dominium: Syrus interpres contrariò ponat … *fecerit*;
& qvomôdo se gesserit, videlicet cum magna pro … *ristum*
Dominum suum excepit. Ibi notatur majestas … *Domini*
triumphantis: hic obsequium & reverentia crea … Opti-
mè verò obsequium hoc cœlo tribui, vide proba … o apud
Dn. Tarnovium.

10. Et qvis ex istis nunc ita argumentari vel … romptè
& cum obedientia CHRISTUM ut Dominum … vel illi
promptè obedit, Ergò localiter eum inclusit. A … luden-
di artem! Manet ergò, qvod pro nostra, non ve … parte
stet Syra, qvod demonstrandum. Et hæc explica … optimè
conveniet, de qvo vide *B. Menzer.* l. d. p. 102.

QVÆSTIO IV.

An particulæ ב ל כ *semper* ה *demonstrat* … *ent*
ejusq; Punctum assumant …

1. Verissimum qvidem est, qvod ב כ ל … emon-
strativum & Emphaticum, idqve ה הקריאה … *ropter*
gravitatem lectionis, dicente *Kimchi* in *Michlol*, … chara-
cteristico qvandoqve, ut *Bellarmino* plura suggera … & Hi-
phil id fieri asserimus, dicitur enim לָלִין pro הלין … *dum*,
לִשְׁמִיר *ad deperdendum* Es. 23, 11. בְּעִטֵּף *in ob* … בהעט
Thren. 2, 11. בָּעִיר *in evigilando* pro בהעיר Psalm … per-
petuum hoc esse negamus, exemplis contrariis me …

Dici-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747238561/phys_0017
DFG